

## *Ad familiares 2,7*

M. CICERO IMP. S. D. C. CURIONI TR. PL.

**1.** Sera gratulatio reprehendi non solet, praesertim si nulla negligentia praetermissa est: longe enim absum, audio sero. sed tibi et gratulor et ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus exopto, teque hortor ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum consilia. nemo est qui tibi sapientius suadere possit te ipso; numquam labere, si te audies. non scribo hoc temere. cui scribam video. novi animum, novi consilium tuum. non vereor ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes quae ipse recta esse senties. **2.** Quod in rei publicae tempus non incideris sed veneris (iudicio enim tuo, non casu, in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum), profecto vides. quanta vis in re publica temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites. sed, amabo te, cura et cogita – nihil novi, sed illud idem, quod initio scripsi. tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. alteri qui melius consilium dare possit quam tu, non facile inveniri potest; tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. di immortales! cur ego absum vel spectator laudum tuarum vel particeps vel socius vel minister consiliorum? tametsi hoc minime tibi deest, sed tamen efficeret magnitudo et vis amoris mei, consilio te ut possem iuvare. **3.** Scribam ad te plura alias: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut, quoniam sane feliciter et ex mea sententia rem publicam gessimus, unis litteris totius aestatis res gestas ad senatum perscriberem. de sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim quamque difficili in re atque causa cognosces ex iis litteris quas Thrasoni, liberto tuo, dedi. **4.** Te, mi Curio,

pro tua incredibili in me benevolentia meaue item in te singulari rogo  
atque oro, ne patiare quicquam mihi ad hanc provincialem molestiam  
temporis prorogari. praesens tecum egi, cum te tribunum pl. isto anno fore  
non putarem, itemque petivi saepe per litteras, sed tum quasi a senatore,  
nobilissimo tamen adulescente et gratiosissimo, nunc a tribuno pl. et a  
Curione tribuno, non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius,  
sed ut ne quid novi decernatur, ut et senati consultum et leges defendas  
eaeque mihi condicio maneat qua profectus sum. hoc te vehementer etiam  
atque etiam rogo.